

Hoc tamen in scholio, uti in opusculo dogmatico convenit, tum positivam investigationem tum systematicam omittimus ut ad solam quaestionem dogmaticam attendamus. Quod omni utilitate carere non vietur videtur. Sicut enim positiva studia parum prosint prosunt ubi ipsa res non intelligitur, ita etiam in suspicionem venit mysterii intelligentia quae in fontibus nullatenus fundetur.

2. Rei ergo psychologicae quattuor esse possunt manifestationes, quarum nisi duae ad interpretationem NT non faciunt.

Et prima manifestatio est quae in ipsis conscientiae datis iisque immediatis invenitur. Altera est in communi nominum verborumque usu qui ex interiori experientia proceduntⁱ eamque exprimuntⁱ usu qui ex interiori experientia procedit eamque ita sufficienter exprimit ut ab omnibus intelligatur quin clare et exacte definiatur. Tertia non est nisi in systemate philosophico quod simul psychologicum, epistemologicum, et ontologicum sit. Quartè^a denique est in descriptionibus psychologicis et introspectivis quarum finis est ut ipse lector ad suam et propriam experientiam interioram attendat ibique inveniat quae ibidem immediate dentur.

Scholion.

DE ANALOGIA TRINITARIA DICTA PSYCHOLOGICA

1. Superius iam diximus tum alios tum S. Athanasium ex sole solisque splendore processisse ~~ut~~ ut Filium Deo Patri consubstantialem conciperet; ⁿ 75 Origenem vero ex interiori hominis experientia similitudinem quaesivisse cum diceret ex Patre esse Filium "tamquam ex mente voluntas." 76

~~Quae quidem~~

Quae quidem duo illustrant genera conceptionum quae de SS. Trinitate a nobis hac in vita haberi possunt. Nam hac in vita Deum per essentiam neque concipimus neque cognoscimus; remanet ergo ut eum non concipiamus nisi secundum similitudinem rerum creatarum; sed omnis nostra rerum creatarum notitia aut ex experientia exteriori et sensibili hauritur aut ex experientia interiori seu conscientia; et ideo omnis nostra conceptio Dei aut est analogia ex rebus sensibilibus hausta aut est analogia psychologica.

Porro circa analogiam psychologicam aliter procedunt positivus, aliter systematicus, aliter dogmaticus. Positivi enim theologi est narrare ~~quomodo patres~~ quemadmodum Patres et theologi hanc analogiam conceperint; systematici vero est eadem uti ut ad aliquam imperfectam SS. Trinitatis intelligentiam perveniat; dogmatici denique est ~~quae~~ quaerere utrum haec analogia in fontibus revelationis contineatur. Et nos de praesenti nisi dogmaticam quaestionem non aggredimur; neque aliam analogiam in scripturis fundari dicemus nisi eandem quam in parte systematica exponimus.

2. Sed quo clarius procedamus, illud in primis notari oportet quod tripliciter haec analogia considerari potest. Quae enim interius experimur, eadem conceptibus, iudiciis, vocibus vel praecisive vel inclusive exprimimus. ~~Ex~~ Primo ergo modo consideratur haec analogia prout in datis conscientiae immediatis contineatur. Altero modo consideratur prout et datur et praecisive exprimitur, ut id ipsum quod datur et totum et solum concipiatur, affirmetur, vocabulisque aptissimis dicatur. Tertio ~~et~~ denique modo consideratur prout et datur et non praecisive sed inclusive exprimitur, ut scilicet illud dicamus quod et nos et alii experimur, non tamen totum neque solum, sed cum aliis coniunctum ^{et} ~~vel~~ in toto quodam maiori inclusum.

Quod si dicis te optime inter expressionem praecisivam et expressionem inclusivam distinguere, minus vero perspicere de quibusnam agatur datis conscientiae immediatis, ipse te consideres necesse est. Quaeras ergo velim non ab alio sed ipse a te utrum umquam in tota ~~x~~ anteacta vita hoc sis expertus: verum affirmare propter perspectam evidentiam. Quam experientiam si habueris et affirmabis, ite um habebis in ipsa ha^c affirmandi experientia. Sin vero non habueris et negabis, iam nunc primo ad aetatem rationis pervenies; nam ^{si} vere negas, ~~et~~ propter perspectam evidentiam negas; quod cum facis, ipse tuam rationalitatem experiris, quae nihil aliud est quam secundum et propter evidentiam perspectam iudicare.

Sed ulterius ipse a te iterum quaeras velim utrum umquam in tota anteacta tua vita hoc expertus sis: propter agnitam obligationem honeste eligere. Sed ut particularius quaeras: nonne veracitatem agnoscis obligatoriam? nonne aliquando propter agnitam veracitatis obligationem veraciter locutus es? Si affirmas, datum conscientiae immediatum invenisti. Sin autem negas, nonne nunc saltem veraciter loqueris?

Scholion.

DE ANALOGIA TRINITARIA DICTA PSYCHOLOGICA

1. Cum hac in vita Deum per essentiam non cognoscamus, remanet ut eum concipiamus atque cognoscamus secundum similitudinem rerum creatarum; res vero creatae primo nobis innotescunt aut per sensus ~~ext~~ exteriores aut per internam conscientiam; et ideo omnis nostra conceptio sive Dei sive Dei trini, si primam in nobis originem respicis, aut ex rebus exterioribus et sensibilibus derivatur uti apud S. Athanasium vidimus,⁷⁵ aut ex interiori conscientia praesertim spirituali uti apud Origenem⁷⁶ et S. Augustinum⁷⁷. Quam ob causam distingui solent vestigia SS. Trinitatis eiusque in nostra anima imago⁷⁸ quae analogiam trinitariam et psychologiam fundat.

Porro, ad partem huius tractatus positivam pertinet narratio quemadmodum alii aliter hanc analogiam psychologiam conceperint⁷⁹; ad partem vero systematicam ita hanc analogiam exponere ut aliqua huius mysterii intelligentia attingatur; ad partem denique dogmaticam quaerere utrum ipsa analogia in fontibus revelationis fundamentum quoddam habeat. Quo de fundamento nunc agitur et, quo clarius procedamus, thesin statuimus: Eatenus in NT fundatur analogia trinitaria et psychologica, quatenus verbum Dei secundum veritatem praedicatur et secundum sanctitatem auditur, & quatenus Dei Filius secundum veritatem Deum Patrem nobis revelat et Spiritus sanctus a Patre Filioque audit quae nos audire facit, quatenus denique ex missionibus Filii et Spiritus sancti ad aeternas eorum processiones rite ascenditur.

Scholion.

DE ANALOGIA TRINITARIA DICTA PSYCHOLOGICA

L

1. Cum hac in vita Deum per essentiam non cognoscamus, remanet ut eum concipiamus secundum analogiam rerum creatarum; res vero creatae primo nobis innotescunt aut per sensus exper exteriores aut per internam conscientiam; et ideo omnis nostra Dei conceptio aut ex rebus materialibus et sensibilibus oritur aut ex experientia interiori et spirituali. Quam ob causam distingui solent SS. Trinitatis vestigia eiusdemque imago.⁷⁵ Et superius iam vidimus tum alios tum S. Athanasium rationem consubstantialitatis ex sole solisque splendore repetere,⁷⁶ Origenem vero ad Filii generationem concipere "tamquam ex mente voluntas"⁷⁷. Psychologica ergo ea est analogia trinitaria quae ex interiori atque spirituali hominis experientia derivatur.

Sin autem negas, quaerendum est utrum vere neges, utrum veraciter dicas quod vere neges te vere negare. Quod si facis, iterum habetur intentum